

Alte Drucke

**CONCIONES || IN EVANGELIA || ET EPISTOLAS, QVAE || per
totam Quadragesima[m] populo in Ecclesia || proponi
solent, è Tabulis F. Iacobi Veldy ...**

Prielee, Gilles vanden

Parisiis, 1567

SABBATO ANTE DOMINICAM PALMARVM, EPISTOLA, Hieremiae 18.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150295

SABBATO

etici, qui non solum Christum persequuntur, sed etiam
rursum crucifigunt, & ostentui habent in semetipsis.

SABBATO ANTE DOMINICAM

PALMARVM, EPISTOLA,

Hieremias 18.

Et dixerunt, Venite, & cogitemus contra Hieremiam cogitationes, &c. Finis Epistolæ:
Fiant corruentes in conspectu tuo, in tempore
furoris tui abutere eis.



IEREMIAS typum gerens Christi à Iudæis spreti, contempti, ac crucifixi, præsentī Epistola agit tria.

*Impia Iude
orum confi-
lia.*

I Primò, Describit impia Iudæorum consilia, quibus Christo de ipsis benemerenti perniciem moliebantur, & sibi, ac Reipublicæ suæ salutem ex eius morte conciliare nitebantur: dum ait, *Venite, cogitemus contra iustum cogitationes*: Quæ causa obsecro, quia, ut est Sapien. 2. contrarius est operibus nostris, improperat nobis peccata legis, diffamat in nos peccata disciplinæ, & factus est nobis in traductionem cogitationum nostrarum, & gravis est nobis ad videndum. Erant igitur cogitationes Iudæorum contra Christum, ut vnus ipse moreretur pro populo, ne tota gens periret, Iohan. 11. Porro vt omnia sibi tuta fore sperabant Principes Sacerdotum, Christo sublatocita & Iudæi, quibus displicebat veritas, à Hieremia prædicata, omnia felicius in Repub. successura putabant, ipso tanquam seditioso Ecclesiaste sublato: dicunt enim, Non peribit lex à Sacerdote, nec sermo à Propheta, nec consilium à Sapiente: quasi dicat, Est certa & firma Dei promissio, qua Sacerdotium nostrum diuinitus institutum perpetuò duraturum cum legis cognitione permanebit, Malach. 3. Deuter. 17. vt non possimus quæ agenda sunt ignorare. Non destituemur Sapientum consilijs, quia ex his depedet Reipub. felicitas, nec Prophetæ, qui Dei voluntatem nobis annuntiant verbo & visionibus destituentur. Venite ergo, & hunc seditiosum quotidie prædicantem, cap. 19. 20. afflictiones, bella, verbi excidium, tem

pli desolationem, Regis captiuitatē, & totius Reipub. vastationem percutiamus lingua, mittamus lignum in panem eius, Hierē. 11. eradamus eum de terra, non attendamus ad vniuersos sermones eius, hoc est, falsis criminationibus & calumniis, eum oneremus, crucem in corpus eius, quia subinde se panem, qui de caelo descendit, dicere solet, morte turpissima condemnemus eum, & tanquam somnia, ipsius conciones æstimemus.

2. Secundò, Sub persona Christi Propheta sese omni humano præsidio destitutum sentiens, quando tum Politicus, tum Ecclesiasticus magistratus contra eum conspirasset, ita vt in neruum mitteretur, ac in lutū proiiceretur: Ideò Deo suam testatur innocentiam, eumque ex fide agnoscens omnium oppressorum refugium, auxilium in tribulatione, & defensorem, petit illum attendere causæ suæ: vide Psalm. 42. & audire voces aduersariorū. Siquidem tanta sit illius imbecillitas, vt sustinere ipsorum iniurias non possit, nisi adiutus diuino præsidio. Neque verò Propheta tantū hæc competunt, sed omnibus fidelibus, imo ipsi Christo in cruce constituto, cuius innocentia hæc competit querimonia, qua queritur sese pro miraculis, Euangelij prædicatione, & remissione peccatorum, quam gratis obtulit, retulisse inuidiam Scribarum & Phariseorum, contumelias, exilia, Io. 9. 11. & crucē. *Nunquid redditur*, inquit, *pro bono malum? quia foderūt foueam animæ meæ. Recordare ergo quòd steterim in conspectu tuo, vt loquerer pro eis bonum, & vt auerterem indignationem tuā ab eis*, dum, scilicet, in cruce pendens dixi, Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt: & insuper impus grauissima supplicia comminatur. Intelligebat enim Dei iustitiam non passuram ultam tantam iniuriam, perfidiam, & ingratitudinē, nō ipsi tantū Propheta, sed Christo Dei filio exhibendam. Atque adeò omnib' iis, qui vel Dei beneficiis essent ingrati, vel innocentes ac pios opprimerēt: vt ex hac comminatione meritò possint terreri impij, & singularē cōsolationē accipere pij: sciētes illi Deū scelerū ultorē esse, isti autē innocentia suæ defensorē. 3. Tertiò, Præ-

*Deus scelerū
ultor.*

missa cōminatione enumerat quæ mala ipsis imminēāt, tū à Babyloniis ob grauissima ipsorū peccata, scilicet, vt

SABBATO

est Ezech. 16. idololatriâ, vagas libidines, & otium tū à Romanis, Tito scilicet, & Vespasiano ob contemptum, ignominiam, & mortem filij Dei. Propterea inquit, *Da filios eorum in famem, vt vel ipsi fame pereant, vel suo corpore alijs famem extinguant, 4. Reg. 6. Deduc eos in manus gladij: fiant vxores eorum absque liberis, viri interficiantur morte, & iuuenes confodiantur gladio.* Nemo autem arbitretur hæc à Propheta dici appetitu vindictæ: fuerūt enim Sanctissimi illi homines, quàm alienissimi ab hoc vitio, scientes Domino hanc esse ex ipsius præcepto relinquendam, sed tātū est futurorum prædictio, vt vel sic metu imminentis mali poenitentiam agerent, à peccatis desisterent, Deo se reconciliarent. Verū quum animaduertit Propheta aliud se nihil, quàm surdis fabulam canere, ipsosq; propria malitia ita excæcatos, vt non antè desisterent, quàm filium Dei morte turpissima condemnassent, immutabilem contra ipsos pronuntiat Dei sententiam. *Ne propitius, inquit, iniquitati eorum, & peccatum eorum à facie tua non deleatur.* Quomodo igitur Petrus, Act. 2. multis poenitentibus, qui vt Christus crucifigeretur fuerant cooperati, veniam cōcessit? Verū id nullo pacto cum Propheta pugnat. Is enim loquitur de iis, qui in odio & contemptu perseverarūt, quales erant Scribæ, Pharisei, Principes, & Sacerdotes, quorum malitia ex Apostolorum prædicatione creuit.

SABBATO ANTE DOMINICAM
PALMARVM, EVANGELIVM, IOHAN. II.

Iesus ergo, ante sex dies paschæ venit Bethaniam, vbi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitauit Iesus, &c. Finis Euangelij: Sed vt Lazarum videret, quem suscitauit à mortuis, &c.



CONTINET inestimabilem Dei misericordiam hoc Euangelium, quoniam exhibuit Christus in eo, quòd tanta promptitudine Iudæam reperit, quia iam horam adesse sciebat, qua victima fieret pro peccatis totius mundi: præterea Mariæ Magdalene in Christum amorem commendat, & Iudæ proditoris insignem auariciam ar-

Matt. 26.

Marc. 14.

guit. Proponit aurem quatuor.

1. Primò, Christus, quia agnouit æterni Patris sui cam esse voluntatem, vt sese pro humana natura veram ex hiberet hostiam & victimâ, pro peccatis, vt veritas vni-
 bræ responderet, qua decima die mensis iubeatur ovis immolanda in patcha tolli, Exod. 12. id est, sexta die ante immolationem, ascendit, & ipse ante sex dies pasche, hoc est, iuxta nostram computandi rationem, 19. Martij. Nam 25. eiusdem pro nobis æterno Patri satisfecit. Venit autem Bethaniam Lazari à morte resuscitati, Marthæ, & Mariæ Magdalene causa, ænigmate quodam eos sibi gratos esse significans, qui verbis ipsius essent obediētes. Hos enim sua visitatione dignatur. Isa. 66. Ad quem respiciam, &c. 1. Reg. 13. Melior obediētia, &c. Deinde vt peractum miraculum certius & illustrius faceret, & spem resurrectionis suæ daret, dum eum, qui à morte suscitatur, omnibus vitæ officiis vten- tem conuiuium admittit, & moriturum se significat, nō tantum à morte absorbendum. Qui enim alium potuit à morte reuocare, & se. Porro in eo conuiuium, cui Christus accumbit, imaginem Ecclesiæ agnoscere licet, in qua sola Christus agnoscitur, adoratur, & colitur, charitate in cordibus fidelium diffusa, quæ non patitur o- tiari quenque. Nam Lazarus, rediuius peccator, scilicet, è monumento ad pœnitentiam vocatus, gloriam Dei prædicat: Martha, quæ practicæ vitæ imaginem re- fert, operibus charitatis erga proximum, sed tamen ad gloriā Christi, tota occupatur: & Maria iam non ad pedes otiosa desidet, sed vnguento pretioso caput & pe- des Christi perfundit. Ea enim demum vera est Ecclesiæ Christi facies, quam sibi, Apostolo teste, spōsam elegit, quam purgauit sanguine suo, quam denique corpus Christi idem appellat, in qua vera est obediētia in obse- quium fidei, peccati cognitio, sacramentorum iuxta Christi formam institutorum reuerentia, vbi charitas, quæ plenitudo legis est, & perfectionis vinculum, ener- giam exerit suam, proximi necessitatibus succurrendo. Vbi denique verbi ministris, Sacerdotibus Christi suis seruiatur honos, iuxta præceptum Apostoli, Gala. 6. Cō- municet autem is qui catechizatur verbo, &c.

*Christus ho-
stia & vi-
ctima pro
peccatis.*

*Vera Eccle-
sia Christi
facies.*

*Charitas
Magdalene
in Christum*

2 Secundò, Magnam Magdalene erga Christum charitatem commendat, quæ tanta liberalitate caput, & pedes perfudit vagnetio nardi pisticæ pretiosæ: neque hoc contenta, extersit pedes capillis suis. Id enim est peculiare fidei, vt Deum solum agnoscant, & quem misit, Iesum Christum, Iohan. 17. & charitati, vt opes suas in ministerium Ecclesiæ, & Ministrorum Christi benigne & liberaliter conferat. 1. ad Thessal. 5. Rogamus vos fratres, &c. Fugienda enim hic est impia de hoc facto suspicio, quasi lasciuia tantum esset argumentum, quia Plinius inter maximæ luxuriæ indicia refert, quòd talos & pedes quidam inungerent. Aliud Spiritui sancto hic propositum fuit: Significare nimirum, quàm grata, & meritoria sunt apud Patrem ea opera, quæ ex fide proficiscuntur, vt sunt dilectio Dei super omnia, & dilectio proximi. Hæc enim odore suauissimo totam Ecclesiam perfundunt: quæ licet malis sint odor mortis in mortem: sunt tamen piis odor vitæ in vitam, qui non solum inde consolationem accipiunt Spiritus sancti, verum etiam magis magisque accenduntur ardore celesti, donec ad eandem attingant vitæ perfectionem, vt se, suâque omnia in Euangelij, & Ecclesiæ subsidium conferant.

*Grata Deo
opera, quæ
ex fide profi-
tiuntur.*

3 Tertiò, Auaritia excæcatus Iudas, imaginem gerens omnium in Ecclesia hypocritarum, seditiosorum, auarorum, & inuidorum, qui pietatem quæstus causa simulat: pacis & concordie vnitatem, ambitionis vel auaritiæ occasione sciunt, perire arbitrantur quod ipsorum cupiditati aut marsupio non feruit, & aliorum felicitate aut commodis anguntur. Fremens, atque alios Apostolos ad murmurationem prouocans, qui tamen ob animi simplicitatem excusantur, vt magis cupiditati, & auaritiæ suæ patrocinari videatur, honestum prætextum affert, pauperum, scilicet, subuentionem. Sic enim solet humana industria honesto titulo suis affectibus inservire: atque ideo duas quæstiones proponit, scilicet, *Quare hoc vnguentum non venit trecentis denarijs? & Quare non est datum egenis?* Hoc autem dixit, non quòd pauperes illi curæ essent, sed quia fuerat, & ea quæ mittebantur, portabat. Huiusmodi

veniam non multos nostra hæc ferat ætas, quibus cùm nihil æquè cordi esse videatur, atque ipsa pauperum cura, vt iis alendis omnia sua erogare velle videantur, reuera tamen aliud nihil animo meditantur, quàm Ecclesiæ bonis insidiari, ex illis suum facere commodum, atque vt turpes solent Harpiz, rapinis, vsuris ac malis artibus, sub Euangelij ac pauperum prætextu ditescere. Huiusmodi illæ experiuntur regiones, in quibus pro Christi suauissimo Euangelio, Antichristi obtinuit

κατακλιση.

4. Quartò, Acquissimus humanarum actionum astimator, & iudex Christus, non externam tantum operum laruam, sed radicem ipsam, intentionem scilicet, tanquam Deus intuens, innocentis suscepit patrociniũ, dum ait, *Quid uolesti estis huic mulieri? Opus bonum operata est in me.* Toto igitur eriant cælo, qui iustum in quouis opere bono peccare magna impudentia non verentur asserere: nunquam æterna Dei sapientia Christus peccatum vocaret, quod bonum est. Maledicatur enim per Prophetam huiusmodi sinistrum iudicium, quo malum bonum, & bonum malum asseritur, Isa. 5. Est enim dilectio Dei natura sua bona, ergo & opera, quæ per Spiritum sanctum habitantem in cordibus nostris ex ea proficiuntur, relata in Dei gloriam, mala esse nequeunt. Deinde ne quis occasione pauperum auaritiæ prætextum afferre posset, vt ita suæ infernæ cupiditati posset, docet pauperes nunquam defuturos: atque eam esse relictam homini libertatem, vt dum velit, benefacere possit. Quæ duo, quasi paradoxa, subnectere nituntur nostri temporis hæretici: Nam Anabaptistæ communionem bonorum esse uolunt, ac Platonice æconomiam instituere, atque adeo omnem & Repub. Christiana ordinem subuertere contra scripturas, Deuter. 15. Matth. 23. Psalm. 48. & Calvinistæ, qui omnia absoluta necessitate euenire contendunt, & Stoicorum fatum asserentes, arbitrij libertatem tollunt: qua sublata, falsum prorsus hoc loco Christus pronuntiat. Neque enim dum uouerimus, licebit benefacere.

DOMINICA IN RAMIS PALMÆ

AVM, EPISTOLA, AD PHILIP. 2.